

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Caro siue corpus s
cum fonte primo

Nichil aliud est caro
cum qua tanta est societas
nisi spuma caro facta, fragili decore uestita;
sed erit quando erit cadauer miserum
et putridum et cibus uermium.

Si diligenter consideres quid per os et nares
et ceteros corporis meatus egrediatur,
uilius sterquilinium nunquam uidisti.
Si singulas eius miserias enumerare uelis,
quam sit onerata peccatis, irretita uiciis,
pruriens concupiscentiis, occupata passionibus,
polluta illusionibus, prona semper in malum
et in omne uicium procliuus,
plenam confusione et ignominia inuenies.

Hugo de claustro anime libro I. capitulo I.

Nihil enim aliud est caro,
cum qua tanta est tibi societas,
nisi spuma caro facta, fragili vestita decore:
sed erit, quando erit cadaver miserum
et putridum, et cibus uermium.

Nam quantumcunque excolatur, semper caro est.

Si diligenter consideres, quid per os et nares
caeterosque corporis meatus egrediatur,
vilius sterquilinium nunquam vidisti.
Si singulas ejus miserias enumerare uelis,
quam sit onerata peccatis, irretita vitiis,
pruriens concupiscentiis, occupata passionibus,
polluta illusionibus, prona semper in malum,
et in omne vitium procliuus,
plenam omni confusione et ignominia inuenies.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?),
*Meditationes piissimae de cognitione humanae
conditionis*, 3.7 (PL 184, col.489D).